

9940.
DISPUTATIO JURIDICA,

Ex Tit. 1.

De

Verborum Obligationibus.

Et

Ex Tit. 2.

De

Duobus reis constituendis.

Libri 45. Pandectarum,

Quam

In Academia Gryphiswaldensi,

Sub PRÆSIDIO

D. JOHANNIS SCHACKII,

Professoris Juris Ordinarii, & Consistorii Eccle-
siastici Assessoris,

Anno 1710.

Die 5. Aprilis,

defendet

PETRUS BLIESKE,

Stargarda-Pomeranus.



GRYPHISWALDIÆ,

TYPIS DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
Reg. Acad. Typogr.

Diss. jur. civ.

377,4

1.819. 11. 258.

36.

35

DISPUTATIO JURIDICA

EX VII

De obligationibus

EX VIII

De actionibus

De rebus

De personis


De iudiciis

De testibus

De legibus

De iuramentis

De iudicio



I. N. J. A.

THESES JURIDICÆ,

Ex Tit. I.

De Verbor. Obligationibus.

Et ex Tit. II.

De duobus reis constituendis.

Libri 45. Pandectarum.

§. I.

Stipulatio est Contractus, qui præcedenti verbali interrogatione, & in continenti subsequente congrua responsione, perficitur. *l. 1. §. 1. ff. b. t. l. 1. §. 1. ff. d. O. & A.*

§. II.

Stipulatio, quoad modum contrahendi, est Contractus bilateralis. *l. 19. ff. d. V. S.* sed, quoad effectum obligandi, est Contractus unilateralis.

§. III.

Stipulatio dividitur in *Judicialem & communem*, quæ posterior, interdum mandato Prætoris, interdum mandato Judicis fieri solet. *§. 4. Inst. h. t. l. 5. in pr. ff. h. t. Struv. ad tit. d. prætor. Stipulat.* Sed, hodie Prætor à Judice non distinguitur, & sic in effectu inter has Stipulationes nihil interest.

§. IV.

Stipulationis causa remota est Jus civile, *Vinn. in pr. Inst. h. t. n. 3. arg. l. 1. ff. locat. Cond. arg. l. 14. §. 1. ff. d. Novat.* sed quatenus Stipulationi inest conventio, eatenus sine dubio vis obligandi est ex Jure Gentium; quatenus verò præcisè per verba obligatio inducitur, eatenus est Juris civilis.

§. V.

Jus civile est Stipulationis causa remota propter necessitatem. *l. 7. §. 4. ff. d. pact. l. 27. C. locat. l. 1. C. d. Usus.* Cum enim ex nudo pacto concedere nollent Romani actionem, solemnibus aliquis paciscendi modus per Stipulationem fuit introducendus.

A

§. VI. Per

§. VI.

Per Stipulationem imprimis Contractus innominati firmiores reddebantur. *l. 4. 7. C. d. Rerum permut.* Nam in innominatis locus erat pœnitentiæ; quodsi ergo Stipulatio accesserat, pœnitentia excludebatur.

§. VII.

In Stipulationibus, causa proxima est conceptio verborum, ore prolata. *l. 1. §. 2. ff. b. t. l. 52. §. 2. ff. d. O. & A.* Etiam per interpretem, *l. 1. §. f. ff. b. t. §. 1. Inst. b. t.* modò pars præsens sit; nam per nuncium non poterat fieri Stipulatio.

§. VIII.

In Stipulationibus excluditur illa responsio, quæ est diversa ratione qualitatis, si e. gr. purè stipulanti sub conditione sit responsum: nisi diversitas interrogationis & responsionis *illicò placuerit* contrahentibus. *l. 1. §. 3. ff. b. t.* Quod etiam pertinet ad illum casum, si quis de alia re respondeat.

§. IX.

In Stipulationibus impersonalis responsio subsistit, quia ex præcedenti interrogatione responsio interpretationem recipit, sive supplementum.

§. X.

In Stipulationibus excluditur diversa responsio ratione quantitatis. Si, e. gr. XX stipulanti, promittantur X. Hic summa excedens non debetur, *l. 1. §. 4. ff. b. t. §. 5. Inst. d. in iustibus stipulat.* bene tamen concurrens Summa.

§. XI.

In Stipulationibus debet responsio fieri in continenti; modicum tamen intervallum non nocet, si scilicet, nondum discessum ad alia negotia. *Vid. l. 1. §. 1. & l. 137. ff. b. t.*

§. XII.

Animus stipulandi *in dubio* præsumitur ex interrogatione & responsione congrua *l. 7. §. 12. ff. d. pact.* quia fortior via in dubio semper præsumenda est. Nec obstat *l. 1. C. d. V. O.* Nam hic textus magis confirmat priorem sententiam, quam tollit; dicitur enim ibi, quod, si in instrumento mentio fiat stipulationis, præsumen-

sumendum sit, illam solemniter intervenisse, quæ præsumptio ad-
 huc magis confirmatur in l. 14. C. b. t.

§. XIII.

Qui carent rationis usu, stipulari impediuntur. l. 1. ff. d. pact.
 l. 1. §. 12. ff. d. O. & Act. Nam, qui pacisci non potest, necq̃
 stipulari valet.

§. XIV.

Qui carent articulata voce stipulari non possunt. l. 1. in pr.
 §. 2. ff. b. t. l. 1. §. 14. ff. d. O. & A. Nam verba ad substantiam
 hujus contractus pertinent; hinc muti de Jure Civ. repelluntur;
 secus ac hodie, ubi mutus vel solo nutu stipulanti promittens
 obligatur. Vid. Strykii Tract. de Jure sens. D. 4. c. 3. n. 17. & seqq.

§. XV.

Alius pro alio stipulari non potest. l. 38. §. 17. ff. b. t. Hoc hodie
 paulò aliter sese habet, postquam generali ferè praxi receptum, al-
 teri per alterum acquiri obligationem. Mev. p. 4. Dec. 112. n. 5.

§. XVI.

Alteri per alterum acquiri potest obligatio per actum naturalem,
 e. gr. per rei traditionem, quod fit in omnibus contractibus realibus.
 Unde ferè generaliter concludunt, quod, quando magis ex re, quàm
 ex consensu oritur obligatio, alteri, cujus res est, per alterum ac-
 quiri possit obligatio, ut in mutuo, deposito. Vid. l. 26. ff. deposit.

§. XVII.

Si mihi aut Titio stipuler, mihi tota Summa debetur. l. fin.
 §. 3. ff. b. t. Et adjectus nihil petere potest. l. 10. C. d. solut. Nam
 tertius tantùm adjectus est in favorem debitoris, ut huic liberum
 sit, cui solvere velit; non verò, ut tertius Jus agendi habeat.

§. XVIII.

Tertio, obligationi adjecto, licet pupillus sit, absq̃ tutore
 recte solvitur. l. 9. §. 11. ff. d. solut. Vinn. ad §. 4. Inst. d. inutili sti-
 pulat. n. 7. Nam ille, qui pupillum ad recipiendam solutionem
 destinavit, sibi soli hoc imputet.

§. XIX.

Tertio adjecto, solvi potest prohibente creditore. l. 13. §.
 pen. ff. d. solut. Non enim simplex aliquod mandatum adest, quod

aliàs re integrâ revocari potest; sed ex stipulatione debitori jus quæsitum est, cui solvere velit, quod ipsi invito non est auferendum.

§. XX.

Tertio adjecto rectè solvitur, licet creditori jam antea pars debiti soluta sit. *l. 71. in pr. ff. d. solut.* modò adjecti status non fuerit in deterius mutatus. *l. 38. in pr. ff. d. solut.* siquidem omnis contractus intelligatur rebus sic stantibus.

§. XXI.

Tertius adjectus non potest acceptum ferre. *l. 10. ff. d. solut.* Cum nulla obligatio ipsi quæsitæ sit. Quodsi tamen adjectus solvendo sit, & satisfacere possit creditori, non video rationem, quare non possit acceptum ferre.

§. XXII.

Tertius adjectus acceptam pecuniam creditori restituat. *l. 12. §. 1. ff. d. solut. l. 131. §. 1. ff. b. t.* Nisi donandi animo adjectus sit, sic enim pecuniam retinere; imo, & acceptilando, compensandoque debitum tollere potest.

§. XXIII.

Stipulationis objectum sunt quævis res *l. 1. §. 9. ff. d. O. & A.* modò (1) existant. *l. 1. §. 9. l. 69. ff. b. t.* vel existere possint. Et (2) in Commercio sint. *§. 2. Inst. d. inutil. stip. l. 1. §. 9. l. 69. ff. b. t.*

§. XXIV.

Æstimatio rei est objectum stipulationis, si ob moram, vel culpam debitoris res perierit. *l. 82. §. 3. §. 7. ff. b. t.* modo res non æquè penes stipulantem peritura fuisset, & stipulans non mox voluisset & potuisset vendere.

§. XXV.

Qui ad plurium rerum Stipulationem disjunctivam, e. gr. Titium aut Stichum dabis? Respondet, unum dabo, ille nihil agit. Quod ita observatur ob stipulationis solemnitatem. Si ergo hodie talis promissio fieret, non video, quare non per modum pacti sustineri deberet.

§. XXVI.

Facta possibilia sunt objectum Stipulationis. E. gr. curabo, ut Titius hoc vel illud faciat. *Vid. l. 83. ff. b. t. §. 3. Inst. d. inutil. stip.*

stip. l. 185. d. R. 7. Si verò omnem operam impenderit, ut alter solvat, solutionem tamen obtinere nequeam, communior est sententia, me satisfecisse meæ promissioni, si nihil omiserim, quod ad illum compellendum facere poterat; nisi simul meo periculo promiserim. *Mev. p. 6. Dec. 406.*

§. XXVII.

In Stipulationibus factum alterius promittere non possum. *l. 38. ff. h. t. l. 65. ff. d. fidejuss. §. 3. Inst. d. inutil. stipul.* Nam talis promissio est ipso Jure nulla, *d. l. 83.* nec obligatur promittens ad curam, ut faciat alterum præstare. *Vid. l. 3. §. fin. C. ne Uxor pro Mas.* Nec obstat *l. 14. §. 2. ff. d. Constu. pec.* siquidem in hoc textu factum promittentis proprium concurrat, sive potius receptio facti alieni; v. gr. Ego constituo me pro ipso fidejussorem.

Tit. II.

De duobus reis constituendis.

§. I.

Duo rei credendi sunt plures personæ, *pr. Inst. h. t.* quibus ab uno, eadem res, ex eadem causa *l. 2. 9. 12. ff. h. t.* & quidem singulis in solidum, *§. 1. Inst. h. t. l. 2. 3. §. 1. ff. h. t.* Omnibus tamen una debetur, *d. l. 3. §. 1.* Et duo rei debendi sunt plures personæ *pr. Inst. h. t.* quæ uni, eandem rem, ex eadem causa, *l. 2. 9. 12. ff. h. t.* & quidem singulæ in solidum, omnes tamen unam debent. Generaliter quidem verum est, quod, si plures contrahant, unusquisque tantum pro parte acquirat obligationem active & passive; attamen opus est, ut exprimat, se in solidum velle obligari, si velint fieri correi.

§. II.

Duo rei constituuntur per omnem contractum *t. t. 7. ff. & C. h. t.* Nec opus est, ut expressis verbis adjiciatur, duos reos nunc constitui; sed, sufficit, si hoc ex formula appareat, fortè, quod uterq; eandem rem promittat, *l. 2. 3. 4. ff. h. t. pr. Inst. h. t.* quod nec hodie mutatum. *Franc. Exercit. 10. Qu. 3. n. 3. Carpz. 2. C. 37. D. 13. n. 2.* Nec obstat, *Nov. 99.* Hæc enim de modo constituendi correat, plane non disponit; sed tantum de modo exigendi,

gendi, quod scil. gaudeant beneficio divisionis, *Vid. Stryk. d. C. C. Sect. 2. C. 1. §. 12.*

§. III.

Quando duo se obligarunt *samt und sonders / h. e. alle vor et nem / und etner vor alle /* tunc duo rei constituti sunt, *Vid. Tomingii Decis. 47. n. 1. 9.*

§. IV.

Duo rei possunt constitui in mutuo, *l. 2. 4. C. h. t. Nec obstat l. 5. C. si certum pet.* Nam hæc lex non vult, quod in mutuo non possint constitui correi; sed, quod hoc non præsumatur, si ita non convenerit.

§. V.

Duo rei constituuntur per delictum, scil. quoad actiones rei persecutorias, *l. 14. §. f. ff. quod metus causa &c.* non etiam quoad actiones pœnales. Nam pœna multiplicatur pro numero personarum delinquentium; sed restitutio damni semel tantum debetur.

§. VI.

Duo rei constituuntur per quasi delictum, *l. 1. §. f. junct. l. 3. ff. d. bis, qui dejec.* si scilicet plures effuderint, aut plures sint inhabitatores.

§. VII.

Correus credendi, etiam invito, vel ignorante altero correo, potest exigere debitum, *l. 2. ff. h. t. l. 31. §. 1. ff. d. Novat. l. 11. §. 21. in fin. ff. d. legat. 3.* quia una est obligatio.

§. VIII.

Unus ex correis credendi non potest pacto remittere debitum. *l. 72. in fin. princip. §. 4. ff. d. pact. Bachov. Vol. 2. d. 27. th. 9.* quia sic non ipso jure tollitur debitum; sed ope exceptionis; pacti vero exceptio non potest opponi, nisi paciscenti.

§. IX.

Si unus ex correis credendi præscriptionem interruperit interpellatione, hoc alteri etiam prodest. *l. fin. C. h. t.* quia est una obligatio.

§. X.

Quod unus ex correis credendi accepit, alteri communicare non debet, *l. 16. ff. h. t. l. 62. ff. ad L. Falcid. Peretz in C. h. t. n. 15. Bachov.*

Bachov. Vol. 2. D. 2. th. 9. nisi sint Socii. l. 62. ff. ad leg. Falcid.
 Hoc enim casu, actione pro socio alter ad communicandum obligatur. Socii verò hic dicuntur, qui communi periculo & commodo obligationem contrahunt: quales hic sunt omnes, qui duo rei stipulandi facti sunt ex causa onerosa, *d. l. 62. Peretz d. l.* Cum enim ad utrumque onus pertineat, de commodo quoque participare debent, ne unus lucrum capiat cum alterius damno.

§. XI.

Duo rei debendi, singuli in solidum possunt conveniri, *l. 2. 11. in pr. ff. h. t. l. 1. C. h. t. §. 1. Inst. h. t. l. 3. §. 1. ff. h. t. l. 2. 3. h. t.* neque hic locum habet excussio, *l. 5. C. si certum pet.* quia utriusque est æqualis obligatio, *Vid. Stryku diss. de beneficio Excuss. c. 2. §. 13.* Nec obstat *l. fin. C. d. divid. tut.* Nam in hac lege casus est, ubi non ex mutua promissione; sed ex unius facto principali reliqui tutores conveniuntur; ergo necessum, ut ille prius excutiat.

§. XII.

Exactio partis ab uno correorum debendi, non impedit, quo minus reliquum ab eodem peti possit, *l. 8. §. 1. ff. d. legat. 1. l. 13. C. de fidejuss.* nisi partem solvens expressè dicat, se solvere pro sua parte, & creditor accipiens huic non contradicat, *l. 18. C. d. pact.* Nec obstat *l. 16. C. d. fidejuss.* Nam in hac lege agitur de casu, ubi lis contra unum mota, & quod post litem contestatam non liceat mutare petitionem; aliud verò, si extrajudicialiter ab uno quid petierit.

§. XIII.

Correi debendi hodie habent beneficium divisionis, *Nov. 99.* Et quamvis hæc Novella tantum de illis correis loquatur, qui sunt mutui fidejussores, eadem tamen ratio est in aliis.

§. XIV.

Hoc divisionis beneficium cessat, si alter correat non sit solvendo, *Nov. 99. c. 1. Auth. hoc ita C. h. t.* Id quod actor, qui in eo replicationem suam fundat, probare debet, *arg. pr. Inst. de replicat.* Nec obstat *l. 10. ff. d. fidej.* quia ibi non exprimitur, cui probatio incumbat.

§. XV.

Cessat porro hoc divisionis beneficium, si correi debendi sint
merca:

mercatores & socii. *Peretz in C. h. t. Carpz. 2. c. 17. defin. 12.* Quæ tamen limitatio magis ex praxi, quàm jure dependet, nullibi enim mercatoribus hoc casu speciale jus concessum est.

§. XVI.

Correus debendi liberatur, si pactum de non petendo, reale, quod non ad personam paciscentis restrictum est, ab eo interponatur, cujus interest, (e. gr. socii) Correum suum quoq; liberari. *l. 25. §. fin. ff. de pact. l. 3. §. 3. ff. de liber. legat.* Sin verò paciscentis non interlit, aut pactum sit personale, v. gr. à Te non petam, tunc à reliquis petendi Jus mihi salvum manet.

§. XVII.

Correus debendi ex alterius compensatione non liberatur, nisi hic sit socius. *l. 10. ff. h. t.* tunc enim actione pro socio obligatur, ut commodum ex compensatione quæsitum communicet.

§. XVIII.

Sententia adversus unum correum debendi lata, contra alterum non potest executioni mandari *l. 63. ff. de re judic.* quia alter forte exceptionibus instructus esse potest, quas vel ignoravit, vel opponere non potuit prior, qui in lite fuit.

§. XIX.

Correus debendi, qui solidum solvit, partem à correo ex æquitate repetit actione utili negotiorum gestorum. *Carpz. p. 2. c. 17. d. 14. Faber in C. h. t. defin. 1.* Dum enim alterum sua solutione liberavit à nexu obligationis, reapse ejus negotium simul gessit.

§. XX.

Mora unius correi debendi, non nocet alteri. *l. 32. §. pen. ff. de usur. l. 39. ff. de neg. gest.* Nec obstat *l. 18. ff. h. t.* Nam hæc lex de tali facto intelligenda, quod ipsam obligationem concernit, e. gr. de Novat. & Obligat. Aliud in facto extraneo; quorsum pertinet mora.

§. XXI.

Correali debendi obligationi potest adjici conditio, & dies, ita, ut alter purè, alter in diem promittat. *§. fin. Inst. h. t. l. 7. ff. h. t.* Nam hæc diversitas, quæ in die & conditione consistit, tollitur tandem, si dies vel conditio exstiterit, sed, si unus dolum tantum, alter culpam promiserit, nascitur inde diversitas perpetua. *Vid. l. 9. §. 1. ff. h. t.*